

si quod corrigendum videris Auguste:
 hoc ab eo tandē responsum habuit: Ego
 te Galba monere possum, corrigere au-
 tem nullo modo. Purpuram emi præce-
 perat, non respondebat animo suo color,
 venditor vitium excusabat, & attolle, di-
 cebat, purpuram Cæsar, ac sursum oculos
 intende, cui Cæsar: Egone, vt populo Ro-
 mano benè vestitus videar, in solario, am-
 bulem oportet. Solebat ad Cœnam inui-
 tatus non negare, quo se ciuibus suis, con-
 uictu nō superbo quam familiarissimum
 faceret: à pauperrima ac tenuissima cuius-
 dam Cœna rediens, hospiti illum verbis
 prosequenti, hoc vnum ad aurem iocoso
 murmure respondit: Tam familiarem me
 tibi non putabam: Cum extrui Forum
 præcepisset, & cōsummationis avidus, ar-
 chitecti nimiam tarditatem inuisam ha-
 beret, eodemque tempore & à Cassio Se-
 uero accusati plurimum absoluerentur,
 ac velut inquieti & calumniosi hominis
 laqueis, æquitate iudicum expedirentur:
 Utinam inquit Augustus: Forum meum
 accusaret Cassius. Petebat à Cæsare con-
 giariū Pacuuius Taurus quo melius per-
 suaderet, vulgatum iam apud omnes af-
 firmabat, Magnam pecuniam tibi ab illo